

Quaestio medica eaque therapeutica ... an aegrotantes imaginarii, sola diversitate idaeorum, rejecto omni remediorum apparatu, sanandi sint ... / [Georges Imbert].

Contributors

Imbert, Georges.
Chicoyneau, François, 1672-1752.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspeliï : Apud viduam Honorati Pech, 1723.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mg8p5adv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

[P]

IMBERT

29914/p



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30361448>





x. f. 18

QUÆSTIO MEDICA

EAQUE THERAPEUTICA,

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

FRANCISCO DE CHICOYNEAU,
 Regis Consiliario & Medico, nec - non in
 Almâ Monspeliensium Medicorum Acade-
 miâ Professore Regio Anatomico, Bota-
 nico, Cancellario amplissimo, Judice æquis-
 simo, Horti Regii Monspeliensis Præfecto,
 Regiæ Societatis Socio, & in supremâ Com-
 putorum, Subsidiarumve Occitanix Curia
 Senatore integerrimo.

SUB HAC VERBORUM SERIE;

AN

*Ægrotantes Imaginariï, solâ diversitate idearum,
 rejecto omni Remediorum apparatu, sanandi sint.*

Quam Deo duce & Auspice Dei parâ, propugnabit
 in Augustissimo Monspeliensi Apollinis Fano,
 M. GEORGIUS IMBERT Melitensis, Liberal.
 Art. Magister, & jamdudum Medicinæ studiosus,
 die mensis Maii 1723.

4 leaves
 67 pp.



MONSPELII,

Apud VIDUAM HONORATI PECH, Regis & Univers.
 Typographi. 1723.

DISPUTATORI

PROFESSORES REGII

- R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*
R. D. Petrus Chirac, *Serenissimi Ducis
Aurelianensis Archiater.*
R. D. Antonius Deidier.
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Magnol.
R. D. Joannes Astruc.
R. D. Henricus Haguénot.
R. D. Jacobus Lazerme, *R. D. Bezac
Coadjutor.*
R. D. Franciscus Chicoyneau, *Patris
Coadjutor.*

DOCTORES ORDINARII

- M. Antonius Cairol.
M. Garottus Fitzgerald.
M. Carolus Bergier.
M. Antonius Doumerc.
M. Nicolaus Fournier.





SERENISSIMO PRINCIPI
F. D. ANTONIO
MANOEL
DE VILHENA,
SACRÆ DOMUS HOSPITALIS
S. Joannis Hierosolymitani, & Militaris
Ordinis S. Sepulchri Dominici
MAGNO MAGISTRO.

P RINCEPS SERENISSIME,

*Hunc primævum Studiorum in Arte fruc-
tum, utcumque tenuem, CELSITUDINI
TUÆ SERENISSIMÆ, devoveri,*

supreme nobilissimæ & generosissimæ Militiæ
Melitensis Magister, pro eâ quâ affectus
es ergâ omnes Subditos humanitate, haud
difficile patieris exorari. Cum in his La-
borum meorum initiis, Tuum præpotens Pa-
trocinium, mihi licet immerito, concedere
non fueris dedignatus. Nimirum, in gra-
tiam Parentis Charissimi, jam à multis
annis, artem in terris Tuo subjacentibus
Imperio, non ingloriè prorsus exercentis,
Conatibus Gnati, Paterna vestigia pro
virili premere nitentis, benignissimè fa-
vere voluisti, cujus idcirco labores omnes
& vigiliæ, eò dirigenda sunt, ut se tam
insigni tutelâ non indignum præbeat. Hoc igi-
tur potentissimo motus stimulo, primum id
studiorum specimen, audeo, **C E L S I T U -**
D I N I T U Æ S E R E N I S S I M Æ, con-
secrare. Ultrò confidens, eam, ad exemplar
Supremi Numinis, cujus quemadmodum Vi-
cariam potestatem, in lectissimam & nobi-
lissimam Christianæ Reipublicæ partem exer-

cet, majestatemque summâ cum dignitate
sustinet, ita quoque benignitatem & charita-
tem imitatur, non tam offerentis tenuitatem,
oblatique pretium, quàm animum & volun-
tatem in offerendo respecturam. Quæ quidem
sic, **CELSITUDINI TUÆ SERE-
NISSIMÆ**, sunt devota, ut non modò
labores & studia vovere, verùm etiam
spiritum vitamque ad ejus imperia nutum-
que prodigere, paratus semper futurus sim.

Sed &, ubi per otia, dicatum illud Opus-
culum, legere non gravabitur, fortassis quod
huic offeratur, non indignum judicabit; cum
in eo, non ingenii mei rudis adhuc & inex-
perti partûs, sed Patrum hujus Percelebris
Academiæ, quorum documentis excipiendis,
totus huc-usque incubui, & præsertim ejus-
dem Academiæ Cancellarii, Patroni Mei Co-
lendissimi, puriora, solidioraque præcepta ad
dignoscendas, præcavendas, sanandasque
mentis ægritudines, experientiâ multiplici
comparatâ, rationisque viribus probe digesta,

contineantur, & ingenuè non minus ac evidenter exponantur; quæ quanti fieri debeant intelligent, quilibet advertent, ab hisce mentis ægri tudinibus, non minora, nec pauciora quàm ab ingluvie mala suboriri, imò & cætera morborum genera, quæ ab hac ultimâ & communissimâ causâ pendent, quoad maximam partem, à morbis animi, seu à falsâ ægri tudinis insignis opinione, subindeque mortis gravi formidine, foveri, promoveri, & non infrequenter insanabilia reddi.

Hæc itaque prælaudata rationum momenta, summam dedere fiduciam, eam, **C E L S I T U D I N I T U Æ S E R E N I S S I M Æ**, opellam devovendi, tum &, ut publicum profundissimæ venerationis & æternæ gratitudinis extet argumentum, palamque liceat profiteri, nihil ardentius in votis esse, quàm ut **D E U S O p t i m u s M a x i m u s**, **C E L S I T U D I N E M T U A M S E R E N I S S I M A M**, Firmissimam Reipublicæ Christianæ Columnam, ad tuendam

*ejusdem salutem, adversus Orientalis bar-
bariae ferociam, diutissime servet incolumem.
Hæc summa votorum est,*

CELSITUDINIS TUÆ SERENISSIMÆ,

Dabam Monspeli
die mensis Maii
anni 1723.

*Servi humillimi
& obsequentissimi.*
GEORGII IMBERT,

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the middle of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



QUÆSTIO MEDICA

AN ÆGROTANTES IMAGINARIÏ
solâ diversitate idæarum , rejecto omni
remediorum apparatu , sanandi sint.

CAPUT PRIMUM.

De natura Ægritudinis imaginaria.



IC tractandam suscipimus hanc
speciem Melancholiæ , quâ qui
laborant , sani licet & optimè
valentes , se tamen vel ad leves
quosdam corporis affectus , &
præsertim momentaneos capitis succussus , gra-
vi quodam lethali que morbo correptos firmi-
ter arbitrantur ; seu qui fugaces quasdam &

exiguas prorsùs infirmitates, quibus humana natura communiter subjicitur, velut insignia metuendaque malorum genera considerantes, ultimum sibi quolibet instanti fatum imminere reputant, perindeque vel gemebundi, querulo sermone medicam opem implorare, vel sortem suam tanquam desperatam in solitudine, tristibus & profundis meditationibus quasi sepulti, deflere numquam desinunt, nunc verò ad eam quam tantoperè reformidant ægritudinem abigendam, pravum quoddam & insulsum vitæ genus eligere consueverunt: Quos omnes, *Ægrotantes imaginarios* cum vulgo lubet nuncupare.

Ubi tamen notandum est, ægritudinis imaginariæ nomine, non simplex imaginationis vitium, sed omnium animæ facultatum, & præsertim judicii læsionem seu infirmitatem intelligi, cum ægrotantes hujusmodi, in ea falsa persuasione, se gravi quodam morbo laborare, & postremum instare discrimen constanter esse nequeant, nisi tùm imaginatio, tùm memoria, tùm judicium, plures actus depravatos exercuerint, seu nisi consequenter ad primas idæas ab imaginatione, vel à memoria oblatas, mens ad pronuntiandum de corporis statu determinetur, quod aliundè manifestè comprobatur, iis assiduis profundisq; meditationibus, in quarum, ut ità dicam, abyssò, *Ægrotantes imaginarii* sicut cæteri Melancho-

lici se totos immergunt, & quæ continuum
judicii exercitium evidenter demonstrant.

Hujus igitur ægritudinis imaginariæ pic-
turam exarare, causas & curam pro modulo
tradere decrevimus, quod utcumque genus
illud Delirii melancholici, sit admodum fa-
miliare, tamen à nemine Medicorum ex pro-
fesso pertractetur, licet inquam observatio
multiplex & attenta doceat, nullum depra-
vati judicii vitium sævire potentiùs, & graf-
fari frequentiùs in orbe terrarum, majorque
multo sit quàm vulgo creditur; horum Me-
lancholicorum numerus, qui quidem lugubri
conspectu, morosoque vitæ genere, tum &
assiduâ de morbo querelâ, quoslibet obvios
sic contristant, ut totidem veluti societatis
humanæ pestes possint considerari, sed præ-
sertim Alumnos Æsculapii sic divexant, ut
tempus verarum corporis ægritudinum cura-
tioni debitum, in his audiendis anxie & frus-
trâ consumatur, & interdum à volentibus vel
nolentibus, Pharmaceutica præsidia nociva li-
cet aut inutilia obtineant, vel extorqueant,
undè fit ut apud vulgus infamentur remedia,
quæ multis fuere, aut esse possunt salutaria.

Accedit insuper præfatum imaginationis læ-
sæ vitium, tantò diligentius & accuratiùs ex-
plorandum, quod ab inattentis, aut ab ine-
xercitatis in praxi, cum veris & genuinis cor-
poris infirmitatibus, quæ medicam opem exi-

gunt, facilè confundi possit, dum videlicet id genus Melancholici, varias ægritudinum species, quibus affectos se reputant, ore vultuque summam ingenuitatem præferentibus, tanquam legitimas ad vivum depingunt.

Addendum denique ex hac depravata mentis indole, non modò diversas Delirii melancholici species, sicut & hyppocondriacum affectum, de quibus crebra apud Authores mentio, sed & morborum myriades subnasci, vel foveri, quibus sanandis incassum adhibentur efficaciora remedia, non aliam ob causam, quàm quod à præsentè semper animi morbo veluti nutriuntur.

CAPUT SECUNDUM.

De Diagnosi Ægritudinis imaginariæ.

UT ergò probè dignoscatur, an ii qui de morbis quorum certa non apparent indicia, conqueruntur, Melancholia jam descripta laborent, in primis sedulò debet expendi? Num ii à communi, moderata, probataque vivendi ratione plurimùm recesserint? An societatem humanam refugientes, secessu seu locis solitariis delectentur? An quidpiam meticulosi funestique, tum in vultu, tum in

vocis sono, tùm in agendi modo præferant; si nempè sine causa manifesta, frontem habeant caperatam rugosamque, supercilia demissa contractaque, fixum aut errabundum obtutum, vocem tremulam, raucam, præcipientem, querulam, cervicem ad pectus inclinatam, & interdum ex imo pectore ducant suspiria, si tardus sit & nutabundus, modo verò præter rationem concitator incessus, sed præsertim anxius, turbatus, torpidus, aut distractus in colloquiis animus, modo motus, nunc verò omnis moræ impatiens, de variis eventis, seu de rebus privatis aut publicis parum sollicitus, qui curas omnes ad statum valetudinis explorandum assiduò traducat, ità ut de ciborum delectu anxie deliberet, crebro pulsus tangat, manuque caput & cæteras corporis partes sæpius, ut ità dicam, interroget, & si tandem ad Medicos frequenter confugiat, morbum quo se credit obsessum, iterum atque iterum contentiosè, & ad nauseam usque narraturus, sic ut vel exiguum temporis spatium, vel ad respondendum, vel ad interrogandum, vel ad præscribendum concedat; ex his inquam & similibus eum quem hîc delineandum aggredimur, Melancholicum licet dignoscere, potissimum verò posteriori signo, nempè contentiosa & indefinente de morbo querela, quâ nimirum fit evidens totam quam latè patet vim animæ, in

eo misero periculosoque, quem sibi fingit corporis statu volutando consumi, seu mentem universam imaginarii mali sensu sic impleri, ut de hoc uno die noctuque cogitet, nec ab hoc objecto utcumque tristissimo se distrahi patiatur, perindèque nil mirum in infirmitatibus quibus se reputat obsessam enarrandis, adeò contentiosam, disertam, & eloquentem videri, dum magnam erga reliqua prodit ineptitudinem.

Hæc itaque præcipua sunt hujus speciei melancholiæ signa, quæ genuinum illius characterem indicant; verùm eadem in quibusdam subjectis, non semper in oculos incurunt, ità ut Medici licèt exercitati, possint à nonnullis id genus Melancholicis haud difficilè decipi.

Enim verò, si quis ex hac ægrotantium classe, de melancholia jam fuerit reprehensus, vel sibimetipsi, sordidi cujusdam timoris conscius sit, vereaturque ne ab eo cujus consilium & opem desiderat, pro pusillanimitate, pro fanatico, verbo pro ægrotante imaginario habeatur, perindèque se firmum & intrepidum, seu morbi mortisque contemptorem porrectâ fronte simulet, gestum, vultum, oculos, & omnem exteriorem habitum ad tranquillitatem componat, decenti demum, seu simplici & brevi stylo, vocisque sono familiari, symptomatum quibus se correptum

arbitratur, enumerationem ordiatur & absolvat, tùm inquam expertis licet artis cultoribus imponet, nisi fortassis eam imbiberint animo sententiam, paucos in orbe mortales reperiri, qui ad id quod describimus morbi genus, non sint maximè propensi, ut haud difficile probaturus essem, si tempus & otium suppeterent; ideòque ne plura complectamur, quam patiuntur harum Dissertationum limites, si ii qui se nobis sistunt ad opem implorandam Ægrotantes imaginarii, firmum pacatumque vultum, interdum & hilarem simulent, nec aliundè certa morborum de quibus conqueruntur appareant indicia, præprimis decet inquiri, quodnam vitæ genus ducere consueverint, an in ea quam norunt arte, vel quam profiteri debent, juxtà moderationis leges se exerceant? Num labori diurno necessaria succedat recreatio? An ea quæ semota sunt à vulgi frequentia seu solitaria loca, societati præferant? Num in ignavo torpescentes otio, se totos inertii meditationi tradant, & hâc unicè delectentur, aut si nulla lux emergat ex hac indagine, colloquium cum ipsis ex arte ferendum & producendum, vix enim possibile est, eos qui verè morbo laborant imaginario, personam fictam diu sustinere, præsertim ubi rem habent cum sagaci mentium exploratore, qui quo pacto cordis humani recessus interiores perspici queant,

tùm genii lumine , tùm experientia viribus
fit edoctus.

Si namque is à quo consilium petitur , ægro-
tantis imaginarii narrationi se maximè præ-
beat attentum , tanquam huic fidem integram
addat , & mox ejusdem infirmitatibus veluti
gravissimis , se tactum commotumque perhi-
beat , deinde verò diligentem in iis sanan-
dis curam polliceatur , nec deesse remedia
ad sanationem efficacissima , asseverare non
erubescat , hâc attentionis , humanitatis , & be-
nevolentia specie , sed maximè propter cer-
tam sanationis spem oblatam , delinitus &
captus animus melancholici , sensim larvam
exuet , metumque , contentionem , & tristitiam ,
certa laborantis animæ signa prodere non du-
bitabit , & velut antea furdo loquutus fuisset ,
metueretque ne levio rem calamitosi sui statûs
picturam exarasset , ejusdem lugubrem histo-
riam ab exordio , quærula prorsus & lamen-
tabili voce , tùm & eloquendi ratione à priori
longè diversa , contentiosa nimirum , & diffu-
sissima repetit : mirum etenim quàm disertos
& eloquentes melancholicos , assidua de mor-
bo meditatio faciat , ità ut de ejusdem mor-
bi situ , indole , vehementiâ , diversaque fa-
cie differere non desinant , nisi tandem ex
anxio , severo , tristisque Medicorum vultu con-
jiciant , importuna querela finem faciendum ,
cui quidem non importuna minus succedit

rogatio, ut sibi tanquam propediem perituris, prompta certaue ferant auxilia, denique sui misereantur, nec dubitent, mercedem huic quam ab eorum peritia sperant sanationi, parem futuram.

Sed ex hoc præsertim indicio, vitium mentis læsæ deprehendere licet, quod dùm Melancholicus de turba, de vertigine, de dolore, de concussionibus capitis, seu uti vulgò loquuntur de vaporibus, aut de viribus exhaustis, simul & de periculo mortis imminente conquæritur, illud tamen pectori robur, hæc animi vis & attentio, illa demùm cogitandi, loquendique simul & agendi facultas inesse videantur, quæ ad sermonem uno eodemque tenore in horas integras magnâ cum contentione vocis protrahendum, & ad corporis laborem firmiter sustinendum sufficiant, imò & à prima diei luce usque quo nox atra terris incubuerit, & iterum à prima noctis ad auroram, Melancholicum ad querelam iterandam, seu ad exaggerandam imaginarii mali sævitiam paratum semper invenies, si quemadmodum huic ad loquendum sic tibi ad audiendum patientia suppetat.

Ubi per transfennam observari meretur, quod vix Melancholicus noster, à Medico quem summâ cum fiducia consuluit, remedium formulas, & tantoperè desideratum consilium obtinuit, ut statim ad alterius Cultoris

Hygeæ domum se conferat, ibidemque parrem priori tragicomædiam (si fas sit ita loqui) nec minus confidenter, nec minus contentiosè, nec diffusè minus redordiat; ita ut brevissimo temporis spatio, cunctos civitatis quam incolit Medicos, imò non solum concives, sed & extraneos quos fama fecit per celebres, demùm & affectu probè confirmato, quoslibet obvios, morbum imaginarium narraturus, & opem periturus adeat, & vel invitos consulat & divexet.

Multa verò roboris quo tùm in loquendo, tùm in agendo pollent melancholici signa, lubens præmitto, ne præfixos limites excedam, cùm aliundè hæc eadem sine summo negotio, quilibet ex modo functiones omnes voluntati subditas perficiendi possit ariolari, utpotè quas multò vegetius & constantius cæteris mortalibus, sed (quod probè notandum) ultra rationis limites exercere consueverunt, nam in cæptis exequendis sic obstinati, ut à proposito (quælibet urgeat necessitas) distrahi se minimè patiantur.

Neque tamen ex præfatis inferendum foret, omnes Ægrotantes imaginarios, in enarrandis morbis suis chymericis, loquaces, disertos, & contentiosos esse; quosdam enim observare licet, qui seu quod averfentur remedia, seu quod metuant ne vox & vires in dicendo deficient, seu ex præjudicio insana-

bilitatis, muti tanquam stipites, ne verbum quidem, nisi prætermo- dum stimulati, com- motique proferunt, imò & eosdem de qui- bus supra dictum, nunc verbosos, modo ve- rò silentes, aut juxtà vulgatum adagium mo- nosyllabicè loquentes, absque causa manifesta deprehendes, quorum tamen animi læsionem, ex hoc eodem pertinaci silentio, ex vultu mo- roso, ex fixis & demissis oculis, aut ex aliis signis superius adductis, verbo, ex universo corporis habitu, seu ex agendi modo, gra- vatum, vel acrius irritatum animum proden- tibus, non difficulter expiscaberis.

Illud interim cunctis propemodum Ægro- tantibus imaginariis familiare, quod utcum- que bene se habere videantur, & reliquorum instar hominum functiones naturales peragere, sic ut probè dormiant, comedantque, mo- tum & laborem excitati sustineant, nihilo- minus si de valetudinis statu interrogentur, sibi propediem pereundum, seu ultimas horas instare, lugubri prorsus & querula voce res- pondeant, somnum, ciborum appetitum, & vires deficere conquerantur, imò & id ge- nus interrogata sibi fieri, interdum ægrè pa- tiantur, nisi certum ab interrogantibus sani- tatis præsidium expectent, nonnumquam ad- versus obvios utut urbaniter alloquentes iras- cantur, dentque responsa malefana, mentem graviter tactâ seu potenter concussam indicâta.

Denique notandum inter signa diagnostica, illud quoque plurimis hoc mentis morbo laborantibus familiare, quod vix remedii cujusdam usum delibaverint, ut ipsos ejusdem satietas capiat, & novum qualibet die pharmaci genus à Medicis requirant, sed & ab iisdem remediis seu evacuantibus seu alterantibus, summæ licet efficaciam, & juxta præscriptum assumptis, parum admodum afficiuntur & commoventur, imò peræpè ab eorundem usu Morbus imaginarius intenditur & exasperatur.

Sed satis hætenus de Melancholiam confirmatæ signis diagnosticis dictum arbitramur, ut vel à junioribus, & vix initiatis Hygeæ sacris, id genus ægotantium dignosci queat: Verùm ut hæc nostra Dissertatio majoris multò sit utilitatis, in numerum melancholicorum hujus speciei ultrò referre juvat, eos omnes qui delineatam huc usque mentis ægritudinem vitandi causâ, singulare quoddam & sanitati vel rationi prorsus insensum vitæ genus eligunt, eo nimirum fine ut hanc auræ divinæ particulam (rationem intelligo) quâ discernimur à brutis, ex intimo mentis in quo residet sacratio penitus expellant, aut obruant, & veluti sepeliant, sicque mentem ab ea contentione tristi & melancholica, quæ parens est & signum ægritudinis imaginariæ valeant liberare, quem in finem plurimi crapulæ,

quidam veneri, nonnulli lusibus & colloquiis inanibus, cæteri ignavæ quieti, verbo, cuncti immodico cuidam affectui, absque ulla intermissione indulgent.

De his inquam, non minus ac de melancholicis exploratis edisseri convenit, cum vel ipsimet ingenuè fateantur se hanc vitæ institutionem ideò colere, ut ægritudines imaginariæ ad quas se maximè propensos sentiunt, præcaveantur, & ex eo tamen quod amplexi sunt vitæ genere funesta morborum cohors, summaque vitæ brevitatis sobolescant, nostrum autem quotquot artem profiteamur officium est, ut non modò methodum doceamus, cujus ope jam declarata sanentur infirmitates, sed & auxilia quibus eæ quæ metuuntur aut impendent, arceri queant.

Addamus insuper, multò satius & utilius esse ut hos ultimos alloquamur, quam eos quorum melancholia præsens est & confirmata, his enim imaginatio sic læditur, vel, ut rectius loquar, judicium sic depravatur, ut eas quas sibi fingunt ægritudines, velut altissimè radicatae respicientes, dementiam nec agnoscant, nec confiteri velint, imò magna cum cura tegere satagant, perindeque sint quoad magnam partem insanabiles. cum ex adverso cæteri statum & indolem mentis aperire non erubescant, unde tum ad auscultandum, tum ad morem gerendum monitis & consi-

liis salubribus, paratiores esse colligitur.

Nisi fortassis sint ex eorum numero, qui se melancholicos esse, seu in melancholiam propensos, modestè vel altè gloriantur, ut ingenii famam apud vulgus consequantur, eo præsertim fundamento, quod melancholici ratione profundæ meditationis, cui vacare consueverunt, pro ingeniosis habeantur, cum etenim ii melancholicam indolem veluti dotem egregiam concessam divinitus, minimè verò sicut mentis ægritudinem considerent, mendendi methodum in decursu proponendam, cujus ope curari posse contendimus, haud dubie respuerent.

Quemadmodum & ii, qui tantum de viribus ingenii sui præsumunt, ut arbitrentur se satis seu ex æquo ponderasse, varia rationum genera quibus ab ægritudine mentis possint liberari, & illud idcirco quod ad hunc finem consequendum iter elegere, cæteris anteponendum judicant; laboriosæ namque plenum opus alex, ne dicam impossibile censemus emendari, aut eradicari præjudicia, quæ à *philantia*, seu à nimia sui fiducia manant & foventur.

Nec denique minùs verendum est, congruam curationis rationem futuram inutilem, iis qui tantum de viribus suis diffidunt, ut quos ad morbum mentis abigendum, contraxere vitiosos habitus, inemendabiles existi-

ment, quasi verò quidquam mortalibus firmiter volentibus, & enixè contendentibus sit invium; sed quomodo se res vertat, illud saltem ex hoc nostro labore solatii sumus habituri, quod ingenuè proponendo rationem, cujus ope mentis ægritudinem curari posse contendimus, officii & conscientiaë legibus pro virili satisfactum erit.

Cavendum interim, ne juxtà superius allata, temerè referamus in numerum hoc morbo laborantium, generosos hosce viros, qui propter summam quam adhibent in implendo munere mentis contentionem, rectaque proposita, quæ seu opum, seu virium, seu auctoritatis defectu non licet exequi, gravem, tristem, & severum vultum præferunt, secessum quærunt, profundè meditantur; ideoque quosdam cerebri concussus, quasdam vertigines, & uti vulgò loquuntur vapores persentiunt, quæ quidem propter ignoratas morbi causas, corpori potius adscribunt quam animo, ideoque nostram opem implorant & anxie requirunt.

Nec etenim cuiquam mirum videri debet, religiosos, pios, & æquitatis amantes animos aliquatenus conturbari, dum immensum qui requiritur ad munus impositum cum laude suscipiendum, perficiendumq; laborem circumspiciunt, dum tuendæ legum & numinis majestati adversus iniquitates mortalium invigi-

lant, dùm iter arduum quod ducit ad beatam immortalitatem, presso calcare pede nituntur, dùm denique tot acta nefaria quorum veluti diluvio facies orbis terrarum impunè foedatur, attentâ mente revolvunt, & aliunde piis justisque conatibus vires parum respondent? Quid mirum inquam hæc generosa pectora, tot laborum, tot scelerum, simul & propriæ imbecillitatis seriâ consideratione potenter perculsa, mœrere, contristari, ultrò se à reliquorum hominum commercio, vel, ut rectius dicam, contagio secludere, profundeque meditari, & idcirco mentes eorundem infirmari, capita concuti, denique & ab iis opem nostram anxie requiri.

Ex simili quoque causa nascuntur insignes ~~ii~~ mœrores, eæque profundæ meditationes, & consequenter ægritudines imaginariæ (sit dicto veniâ) quibus plurimorum ex Alumnis Æsculapii, parum exercitatis in praxi, mentes obnoxia sunt, dùm nempè serio perpendunt sanitatem bonum illud pretiosissimum, à maxima parte mortalium ob neglectas & frequenter adeò violatas sobrietatis & moderationis leges, infinitis penè modis labefactari, quantaque subindè cum attentione deceat hos omnes modos, & eorundem causas non parum abstrusas investigari, ne magnum quoddam in his corrigendis committatur erratum, non possunt inquam non insigniter mœrere, non assiduo

duo meditari , perindeque non animo simul & corpore laborare , nisi fortassis omnem exuerint humanitatis sensum , & credulitate languentum abutentes , de eorundem corio ludere non erubescant.

De his & similibus melancholicis hîc differere minimè convenit , cùm enim eorum ægritudines ex summo recti bonique desiderio subnascantur , cæque profundæ meditationes ex quibus mentis infirmitates sobolescunt , vel ad salutem æternam consequendam , vel ad inveniendam media quibus cæterorum errores corrigi possint , dirigantur , justas adeò causas ægritudinum arguere nefas esset , nec aliud quidquam hoc in statu viris prælaudatis consulendum censemus , quam ut labores assuetos , & studia meditationis tantisper intermittant , donec eorum animi nativum robur resumpserint.

Ergò de prioribus tantùm , suprâ delineatis ægritudinis imaginariæ speciebus , dicere consilium est , utpote quæ à falsis quibusdam præjudiciis , depravatisque vivendi rationibus ortæ , sanationem exoptulant , hæc autem ut juxtâ leges artis præscribatur , exaratarum mentis læsionum causas proximas & remotas , accuratè decet inquire , probèque dignosci.

CAPUT TERTIUM.

*De causis proximis & remotis Ægritudinis
imaginariæ.*

PRæprimis igitur paucis advertendum, Ægrotantes imaginarios, eâ quam descriptissimus mentis læsione numquam ferè corripì, nisi quidam molestiæ, seu doloris, aut anxietatis, sensus, vel levis quidam capitis, rarius aliarum partium, succussus, aut affectus præcesserint, & tum, si propter pravam fibrarum quarundam cerebri dispositionem, nempè tensionem & elasticitatem solito majores, subindeque motum earumdem vegetiorem, animus potenter commotus, malum quod suapte naturâ levissimum est, grave periculosumque judicet, illicò contristatur, terretur, & in profundam circà illud objectum meditationem delabitur, hanc autem meditationem tristem & meticulosam, brevi temporis spatio, molesta fibrarum cerebri concussio, eaque, priori potentior & diuturnior subsequitur, cujus ratione fit ut anima vehementius adhuc percellatur, proindeque propter ignoratam veram & genuinam harum concussionum causam, attentius adhuc, tristius, & timidius meditari pergat; unde novi rursus capitis succussus, &

consequenter novæ molestiæ , & anxietates multò majores prioribus sobolescunt , hinc non iterati tantùm , sed & in immensum penè multiplicati , auctique labores animi , qui potentissimis assiduisque commotionibus ansam præbent , donec tandem mens in tenebricoso tristissimoque morborum & mortis meditationis abyssò se totam immergat , ex quo nullis utcumque vividis aliorum objectorum impressionibus aut illiciis , retrahi se patitur , ità ut ab eodem , nisi summum sanæ rationis lumen affulgeat , seu nisi veram succussuum causam agnoverit , nequeat revocari , ideò verò parum aut nullatenus ab aliis objectis commoveatur , & rectæ intelligentiæ viribus orbatur , quod assiduæ profundæque meditationis de eodem objecto robore , in iisdem semper cerebri angulis fluidum spirituosum veluti captivum detineatur , & eadem idcirco cerebri stamina jam prætermodum tensa magis adhuc & assiduo tendantur , simul & viæ tendentes ad hæc stamina referentur , & ampliuntur , unde sequitur uberiores multo spirituum penum per hæc itinera traducendum , & minorem ex adverso cæteris fibris suggerendum ; sicque patet evidenter cur priores fibræ morborum idæis representandis destinatæ , validius & assiduo commoveantur vibranturque , dum interim ceteræ , quæ sanis judiciis efformandis inserviunt , immotæ se

re permanent, unde nihil mirum mentem ab enata circa morbum & mortem contentione distrahi non posse, neque veram succussum originem dignoscere.

Denique si liquidum spirituosum in interioribus cerebri, meditationis assiduæ viribus diutius detineatur, necessario sequitur salutarem ejusdem fluxum in reliquas partes præpediendum, unde fit ut coctiones, digestiones, circuitus, secretiones, & excretiones humorum, verbo motus omnes tum naturales, tum spontanei, notabiliter minuantur, aut depraventur, hinc insignes eæque prægressis adhuc multo majores anxietates animum de eo quem sibi fingit perverso corporis statu jam sollicitum invadunt, & consequenter malorum & mortis ideæ roborantur & multiplicantur, imo & veræ corporis ægritudines subnascuntur; sicque rursus fit evidens, qua ratione ex unica geminataq; mentis contentione, non tantum imaginarii morbi, sed & affectus hypochondriaci seu morborum ilia des progerminent.

Verùm hæc, ut evidentiora fiant, & altius studiosorum animis infigantur, juxta receptam in hac schola methodum accuratius exponi desiderant.

Et idcirco statim notandum est, ex unanimi phisicomediorum consensu, melancholicos non aliam ob causam, circa singularia

quædam objecta delirare, quam ex eo quod, horum objectorum idæe, eorum mentibus semper obversentur, unde fit ut anima de his diu noctuque cogitet, & hæc idcirco licet absentia, velut præsentia judicet, ex quo facilè datur inferendum, mentem ægotantis imaginarii levia fugaciaque mala, velut gravissima & lethalia ideo respicere, & summopere formidare, quod morborum & mortis idæe frequenter adeò ipsi offerantur, ut de his assiduo meditari cogatur, perindeque nil mirum, lethum & infirmitates, remota licet & absentia, veluti præsentia vel imminencia reputare.

Dum autem, easdem morborum & mortis idæas, animo semper esse præsentis, & idcirco de his ægotantes imaginarios delirare contendimus, illud propositum, non ita strictè accipiendum est, ut credatur, nullas alias idæas præter memoratas, in eorum mentibus absque ulla intermissione excitari, siquidem experienciâ constat, id genus infirmos, sicut & cæteros melancholicos, interim occasione datâ, de aliis longeque diversis ab objecto delirii rebus, sententiam suam, in colloquiis tum privatis, tum publicis, juxta rationis & prudentiæ leges dicere, imò & de his quæ in controversiam veniunt, accuratius, subtilius, & solidius cæteris differere, verùm hæc multo rarius eveniunt, quam in his qui con-

rentione melancholicâ non laborant , ita ut
 multo frequentius adhuc contingat , ægrotan-
 tes imaginarios , summam in iis quæ non
 pertinent ad objectum delirii , seu in collo-
 quendo , vel in rebus agendis , ineptitudi-
 nem prodere , præsertim ubi sibimetipsis , ut
 ita dicam , relinquuntur , stupidos velut &
 attonitos , verbaque & ratiocinia sibi parum
 cohærentia proferentes , non infrequenter de-
 prehendes , nec nisi commoti , & acriter
 stimulati , quid de rebus præsentibus sentiant,
 aut in negotiis occurrentibus sit agendum , pos-
 sunt efferre ; ex quibus venit inferendum ,
 eorumdem animos circa objectum delirii sic
 occupari , ut rarò profus attendant ad alia.
 Quod autem de quibusdam interdum acutius
 cæteris edisserant , illud minime mirum vi-
 debitur considerantibus , mentes melancholi-
 corum ob singularem cerebri dispositionem ad
 profunde meditandum esse comparatas ; cum
 autem nihil ad penetrandum altius in abdita
 naturæ , seu ad rerum causas & effectus in-
 timius detegenda , potentius sit & aptius
 meditatione , & interim melancholici con-
 tentionis robore circa unum defatigato , de
 aliis meditari vel inviti cogantur , nil mirum
 acutius & perfectius , reliquis mortalibus , de
 multis longeque diversis ab objecto delirii ra-
 tiocinari.

Sed ut redeamus unde digressi sumus , ni-

mirum ad proximam & essentialem ægritudinis imaginariæ causam, nullam aliam assignari posse planum est, præter assiduitatem repræsentationis idæarum morborum & mortis, cujus ratione fit ut morbus licet absens aut levis, veluti præsens, gravis, & lethalis judicetur.

Sed id genus idææ nequeunt assiduo repræsentari, nisi fibræ cerebri iis excitandis destinatæ, jugiter & potenter concutiantur, ergo causa proxima hujus assiduæ representationis idæarum, jugis erit & vehemens harum fibrarum concussio, quæ quidem à prava earundem dispositione deduci debet; Et si namque tum à sanguine, tum à spiritibus impetuosius motis, aut replentibus loculamenta fibrarum, & cellulas substantiæ callosæ, concussionum causæ repeti possint, nihilominus ab hujusmodi causis fugax, non autem contumax affectus induceretur, nisi vitium in parte solida jam sit radicatum, accedit insuper quod à liquidis memoratis fibræ cerebri nequeant assiduo concuti, quin earundem tonus depravetur, denique licet sanguis & spiritus naturaliter se habeant, fibræ jugiter & potenter possunt, imo debent concuti, si perverse disponantur, perindeque pravam earundem fibrarum dispositionem in affectu confirmato semper arguendam arbitramur, quam aliundè in nimia tensione & elasticitate, seu harum ad suscipiendos & exercen-

dos motus naturalibus majores, & diuturniores aptitudine, consistere censemus, illudque cum ab omnibus (sanioribus saltem phisico-mediceis,) veluti certum admittatur, ulteriori probatione minime videtur indigere; sed hujus vitiosi fibrarum habitus, causæ manifestæ sedulo debent indagari, tantoque diligentius & attentius, quod ad has causas corrigendas & expugnandas, omnis cura, tanquam ad præcipuum seu unicum scopum sit dirigenda.

Ut autem hæc causarum series ordine decenti proponatur, statim advertendum est, fibrarum tensionem & elasticitatem, vel ab ovo, vel ab utero, vel à primo nutrimento, vel ab educatione, vel à singularibus quibusdam vivendi rationibus induci & foveri.

Ab ovo, vel ab utero, tenerrimis germinum & embryonum staminibus cerebrum tenentibus, tensio memorata tribuitur, dum vel à sanguine lacteque maternis, vel à semine paterno, spiritus quidam adeo vividi & elastici suggeruntur, ut stamina prædicta jugiter & potenter tendi concutique oporteat; idem esto judicium de primo nutrimento, si calidum sit, ardens, spirituosum, & exuberans, maxime vero si præbeatur à nutrice cujus indoles tristis sit, morosa, & ad meditantum prona, tum sane cerebrum, seu flexibile cerebrum infantuli, vehementius tendi,

subindeque mens tristius & molestius , vel ad leves externorum aut internorum appulsus debet commoveri.

Verum tamen illud tensionis & elasticitatis vitium , utut à natura novercali cerebro datum , educationis debitæ curâ posset adhucdum emendari , si nempe quælibet ad laxandos simul & roborandos animos sunt idonea , vicibus alternis , juxta rationis & prudentiæ leges adhibeantur.

Sed ex adverso , si ii qui tuendæ regendæque pueritiæ præsent , prout fert multorum prava consuetudo , præsertim custodum sequioris sexûs , corpora puerorum adeo mollior & delicatè tractent , ut eorum animi vel ad leviora morborum tentamina contremiscere sueverint , si eosdem pascant alimentis acrioribus , saccharatis , cibis succulentis , crudioribus , vinumque & alia liquida spirituosâ propinent , verbo id nutrimenti genus concedant , quod palato quidem gratum , sed ad sanguinem accedendum , spiritus commovendos , & ad stimulanda solida idoneum , dum interim teneras mentes , tristium eventuum , seu casuum infeliciû fabellis anilibus , funestisque malorum & mortis narrationibus implent , si parentes & præceptores graves morosique , violentis agendi rationibus , prædispositas ad tensionem fibras , circa unum objectum , absque ulla remissione tensas mo-

tasque detineant, severoque supercilio ludos innocentes, & moderatas recreationes coercean; ab his inquam & similibus causis, prætermodum tenduntur, & redduntur elastica cerebri stamina, sic ut animus ab objectorum impressionibus se potentius & molestius affici persentiat, perindeque nil nisi morbos & interitum meditetur.

Ab iisdem quoque fontibus manant, hæc validæ fibrarum nervearum tensiones & vibrationes, quæ tot immoderatis cupiditatibus, quibus juvenum animi sunt obnoxii, ansam præbent, & quas hæc eadem ætas rationis inops & judicii, propter ignoratas veras & genuinas stimulorum causas, in nascentes aut confirmatas, easque graves ægrotudines, aut in tentationes à maligno quodam spiritu suggestas refundit, proindeque in tristes & assiduas meditationes, & in anxias de valetudinis statu curas delabitur, utpote quarum ratione potentius adhuc stamina nervea tenduntur & succutiuntur, sicque quolibet instanti renovantur funestæ malorum & mortis imagines, in secuturam ætatem obstinate mansuræ.

Rarò tamen evenit, quod puerilis ætas huic speciei malancholiæ sit obnoxia, quoniam nempe fibræ cerebri propter humidum luxurians sunt summe ductiles, flexiles, & obsequiosæ, ideoque ab objectis externis nonnisi re-

misse vibrentur, adde quod pueris innoxie
 lascivire, & incuriosos impetus effundere,
 vel à rigidioribus censoribus interim permit-
 tatur, sicque mentes eorundem avertantur
 ab assidua periculosaque contentione, accedit
 quod a quibuslibet objectis, utpote novis
 necdum cognitis, leviter & successivè per-
 cellantur, ita ut parum attendant ad singu-
 la, sed ab uno in aliud desultorias, ut ita di-
 cam, cogitationes traducant, sicque rarò pror-
 sus morbis imaginariis afficiantur.

Ab hac lege tamen excipiendi sunt animi
 puerorum, in urbibus obsessis pestilentia seu
 inter angustias ingentis & immedicabilis cu-
 jusdam calamitatis versantium, cum enim in
 eo misero rerum statu, mœroris, terroris,
 & mortis spectacula, vocesque lugubres, eo-
 rum oculis, auribus & animis absque ulla
 intermissione offerantur, iidemque à paren-
 tibus perturbatis & desperatis, immoti in una
 eademque sede deserantur, & consequenter
 teneræ mentes se regere prorsus incapaces,
 circa unum objectum illudque tristissimum,
 & luctuosissimum, fixæ semper perstare co-
 gantur? Quid inquam mirum, in his deplo-
 randis rerum circumstantiis, misellulos sibi de-
 relictos, pavidos, mæstos, & absque ulla in-
 termissione, tremebundos, melancholiâ lethali,
 seu, quod idem est, peste corripiti.

Ubi verò pueri in adolescentiam, primam-

que juventutem producantur, fibræ cerebri majorem, ratione incrementi, elaterem, majusque robur adispicuntur, & idcirco validius ab objectis externis, aut à fluidis intus appellentibus commoventur, perindeque si causæ manifestæ jam memoratæ præcesserint aut supervenerint, multo majus quam in pueritia melancholiæ jam descriptæ periculum imminet, ita ut si ii qui informandis adolescentium animis præsunt, ipsimet morosi sint, tristes & melancholici, sic ut de morbis & morte sæpius meditentur, loquantur, eademque summopere reformident, ejusdem haud dubie indolis spiritum discipulorum mentibus afflabunt, vel ex adverso si huic eidem juventuti nimium lascivire solidosque dies per insanam commessationum dulcedinem trahere, baccho simul & veneri aliisque cupiditatibus sine modo litare permittant, vix fieri potest, quin fibræ cerebri potenter & assiduo vibrentur, subindeque molestæ sensationes exurgant, & tum si morborum & mortis imagines assiduo recurrant, ut sæpius evenit, propter depravatam mortalium vivendi rationem & consequenter ægritudinum & funerum frequentiam, potentius adhuc tenduntur & vehementius succutiuntur prædicta stamina, hinc insignes anxietates & molestiæ animos invadunt, quæ cum judicii nondum maturi viribus nequeant temperari, juvenus

assiduo stimulata , ad malefanos impetus , seu ad eligendum pravum quoddam vitæ genus , quorum ope malorum impendentium idæas avertat , adigitur , vel se totam tristi profundæque meditationi tradit , ex qua falsæ morborum opiniones , subindeque lethi metus ingens sobolescunt.

Sed iterum rarò contingit , adolescentes morbis imaginariis laborare , quod hac in ætate fibræ cerebri licet fortius quam in pueritia tensæ vibratæque nilominus crescentes , adhucdum flexiles sint & obsequiosæ , perindeque cum vehementia ad molestam sensationem excitandam desiderata , constanter non concutiantur & resiliant. Adde quod adolescentes variis corporis exercitiis dediti , sensuque vegetiori ad voluptates stimulari , per inconsultæ libidinis æstus rapiantur , infinitâque motuum varietate distrahantur , denique eorum animi lætarum rerum speciebus sic implentur , ut in eodem statu diu permanere nequeant , nullumque vel saltem exiguum temporis spatium , severiori prudentiæ , seu tristibus & molestis meditationibus concedant.

At ubi juventutem statura & virilis ætas ex- cepit , in qua fibræ cerebri perfectam incrementi roborisque metam attingere , perindeque validiorem multo exercent elaterem , tum inquam ab earumdem vibrationibus sensus multo quam antea molestior exurgit , qui velut

ægritudinis imaginariæ (cui consistentis æta-
 tis viri frequentissime sunt obnoxii) causa ge-
 nuina debet considerari, hujus etenim ratio-
 ne vehementer animus percellitur, & ad se-
 rio profundeque meditandum adigitur, ita ut
 in hoc anxietatis statu, & cogitandi labore,
 si mens maturi judicii seu recti ratiocinii ro-
 bore destituta, nec propriis experimentis,
 nec sapientum & oculatorum virorum docu-
 mentis edocta, motus hosce licet molestos,
 attamen naturæ legibus esse consentaneos non
 noverit, eosdemque non veluti tensionis fibra-
 rum & meditationis effectus, sed tanquam cer-
 tas & indubitatas ægritudinis internæ metuen-
 dæque notas respiciat, iterum atque iterum
 in assiduam & profundam meditationem de-
 labetur, cujus ratione, cum spiritus in inte-
 rioribus cerebri retineantur, novi iique, prio-
 ribus, vehementiores & assidui fibrarum suc-
 cussus, & consequenter molestiæ, prægressis
 multo majores excitantur, unde fit ut mor-
 borum & interitus formidandi ideæ confir-
 mentur & roborentur, sicque quolibet instan-
 ti validæ commotiones & meditationes reno-
 ventur, donec tandem animus se totum ægri-
 tudinibus circumseptum obsessumque, & id-
 circo corpus jam prope periturum judicet.

Adde quod hujus ætatis viri ob anteaecta-
 rum rerum experimenta, prægressasque medi-
 tationes in judicando se falli minime posse

arbitrentur, ideoque ab opinionibus præcon-
ceptis dimoveri se nequaquam patiantur,
imo turpe & veluti dedecorosum putent ocu-
latorum judiciis assentiri, hanc autem assen-
sûs difficultatem ex rigiditate fibrarum cere-
bri deducendam existimamus, cum propter
flexilitatis defectum horum animi novas im-
pressiones suscipere nequeant, & jam suscep-
tas constantius debeant retinere.

Hinc itaque fit, ut qui consistentis ætatis
viri morbis imaginariis divexantur, raro pror-
sus liberentur seu sanentur, sed ad ultimum
usque senium morbus ut plurimum produci-
tur & ingravescit, quoniam nempe cerebri
stamina jam tensa rigidaque majorem adhuc
tensionis & rigiditatis gradum adipiscuntur,
accedit insuper quod senes ob virium imbe-
cillitatem, seu musculorum robur sensim de-
ficiens, eas, quas sibi fingunt ægritudines im-
pensius multo metuant, eo nempe vigore
destituti qui mentis fortitudinem seu securi-
tatem inspirat, mitto denique quod ætate
profecti, jam inchoatum in prægressis vitæ
genus, constantius colant, ludos, recreatio-
nes, variaque mentis oblectamenta, quibus
animus avertitur à contentione melancholica
sæpe refugiant, aut iisdem præ virium defec-
tu nequeant indulgere, perindeque repetitis
diuque protractis de corpore labante, & de
morte imminente meditationibus, nimioque

pavore , mentis elanguentis robur residuum omnimode corrumpant , ita ut tandem in apertam amentiam & maniacum affectum incidant.

Quæ tamen de iis solummodo senibus intelligenda , quorum mentes in ætate consistenti , jam ægritudinis imaginariæ opinione , & interitûs propinqui formidine , fuerunt percussæ , secus autem si lætum , pacatum , & ab omni metu liberum ævum ante senectam duxerint , tum etenim eo , quod delineavimus melancholiæ genere , raro corripuntur , cum ob incapaces novæ flexilitatis fibras , eandem vitæ rationem ad ultimum usque vitæ spiritum constanter observent.

Sicque tandem diversos habitus ægritudinis imaginariæ , ejusdemque diversas in variis ætatibus causas , satis accurate , quantum patiuntur harum dissertationum limites , depinximus , & assignavimus , jam autem ex præfatis facile datur inferendum quod omnes ii qui meditationis studio dediti sunt , instar litteratorum & religiosorum virorum , qui rerum naturalium & præternaturalium essentias , causas , & effectus evolvere , arcana naturæ scrutari , & præsertim quælibet mentis humanæ captum superant , contationis iteratæ viribus assequi nitantur , ut & ii qui monumentis authorum legendis & perlegendis sic insudant , ut corporis exercitium negligant ,

gligant, omnes inquam ii facile, propter rationes superius adductas, in ægritudines imaginarias possunt incidere, nisi tantæ sint firmitudinis & constantiæ, ut angores & infirmitates inde subnascentes despiciere norint, cum enim in hisce mentis laboribus fluidum spirituosum assiduo retineatur in interioribus cerebri claustris, simul & ob exercitii defectum, salutaris ejusdem fluxus ad cæteras corporis partes cohibeatur, sequitur necessario fibras cerebri tendi jugiter & concuti debere, alia vero quælibet organa feriari, motumque fluidorum in vasis contentorum languescere, maxime verò dum memorati mentis labores juxta consuetudinem immoto corpore peraguntur, quò fit ut non modo motus naturales sed & spontanei, ad humorum circuitus fovendos & stimulandos adeò necessarii, summoperè minuantur, & sufflammentur; dùm ex adverso cerebrum à spiritu semper præsentem & exuberantem continuo tenditur & vehementer commovetur; hinc igitur fibrarum ejusdem potentes & assidui succussus, hinc molestæ distensiones reliquarum partium, in quibus spirituum & exercitii defectu sanguis hæret; hinc denique insignes anxietates, subindeque tristes, meticulosæ, & profundæ meditationes, ex quibus ægritudines imaginariæ, & moris formidines debent suboriri.

Et inde rursus intelligitur, cur ii qui corporis exercitiis vacant, hoc morbi genere rarissimè corripiantur, cum enim in his sanguis & spiritus ad musculos motibus voluntariis destinatos, & ad organa sensationum exteriora jugiter advocentur, evenit inde quod ab horum fluidorum assidua & importuna præsentia, & consequenter à validis molestisque succussibus interiora cerebri stamina liberentur, adde quod à perennibus & alternis musculorum contractionibus, sic urgeantur fluida in vasis contenta, ut indigestæ particularum liquidi molculæ, probè digerantur & dividantur, motusque progressivus humorum constanter foveatur, proindeque nullibi locorum hæreant immoti, & idcirco nec cerebri, nec aliarum partium stamina motricia possunt vehementius, aut saltem diutius concuti, nisi fortassis exercitium ultra debitos moderationis limites intendatur & producat, tum etenim violentis & sæpius repetitis fibrarum motricium ictibus, earundem elateres adeò debilitantur, ut humoribus appellentibus propellendis nequeant sufficere, ità ut ex eorum mora lassitudines, anxietates, dolores, verbo molestæ sensationes subnascentur, quæ modo jam exposito morbis imaginariis ansam præbere possunt.

Sed ob causam evidentem huic jam adductam prorsus adversam, accidit ut imbellis mu-

lierum genus, levissimas infirmitates velut gravissimas metuendasque consideret, ideoque non infrequenter ægrotet imaginariè, summam nimirum intelligimus desidiam aut inertiam, in cuius sinu pars major earum, quæ labore corporis ad panem lucrandum non indigent, mollior ævum transigit, cui nimirum indulgent, ut corporis habitus impinguetur, animus tranquilletur, alanturque cupidines, hujus autem inertia ratione fit ut sanguis in minoribus vasibus lentius multò progrediatur, simul & spirituum fluxus ad partes non determinetur, ex sanguine hærente, ideoque descendente & comprimente, ex spirituum fluxu suspenso, lassitudines, anxietates, & insimul molestæ validæ fibrarum cerebri vibrationes verbo ægritudines imaginariæ, sicut & cupiditates immoderatae, iique repentini & morosi mentis impetus, quibus sexus muliebris adeo frequenter abripi se patitur, sunt deducenda. Ad hæc accedit gulositas huic sexui maxime familiaris, seu appetitus effrænis acrium, spirituosorum, & absurdorum quæ tanquam vitæ desideriosæ partes debent considerari, & quorum iterum ratione, fit ut impleantur, stimulentur, & graventur sensationum organa, hinc rursus anxietates, dolores, & morositates, perindeque violentæ tensiones fibrarum, & idcirco tristes & profundæ meditationes, morbis imaginariis, & mortis for-

midini originem daturæ.

Quæ quidem omnia, si juxta sanioris doctrinæ, maturique judicii leges expendantur, nostro quidem judicio, sat superque sufficient, ut ægritudinis imaginariæ causarum proximarum & remotarum perspicuæ notiones habeantur, simul & precipuorum symptomatum huic morbo magis familiarium rationes erui possint, uti tristitiæ, terroris, anxietatis vigiliarum, interim quoque doloris, motus spasmodici, aliorumque pene infinitorum, quæ ex alta persuasione morbi gravissimi præsentis, & mortis instantis formidine, subiindeque indesinenti, tristi, meticulosa, profundaque meditatione, unde fibrarum nervearum assiduæ validæque & inordinatæ vibrationes subsequuntur, ex his inquam & similibus præfata symptomata, aliaque quæ juxta diversitatem temperierum, variosque morbi gradus, nunc plura, modo vero pauciora, remissiora, vel vehementiora conspiciuntur, haud difficile deduci possunt, quorum idcirco fusiori explicationi superfedemus.

Verum inter cætera singularem attentionem meretur, illud ab ægrotantibus imaginariis tantopere formidatum phenomenon, quod vaporum titulo communiter circumfertur, quoniam velut ab halitu, seu à fumo quodam ab infima regione sursum elevato, & vaporis instar evanescente produci vide-

tur. Hoc igitur nomine vulgo designantur subitanei quidam, seu invadentes ex improvise capitis succussus aut stupores, & interdum vertigines, modo cum rubore faciei, tunc vero cum ejusdem pallore, & non raro sensuum tum externorum, tum internorum privatione, aut saltem non mediocri perturbatione vel imminutione, sic ut hujusmodi vaporibus correpti, tanquam à fumo quodam ex stygia palude prodeunte afflati, aut velut conspecta gorgone reddantur attoniti.

Illud inquam phenomenon, tanto diligentius & accuratius explorari convenit, quod ægritudines imaginariæ ab eo non infrequenter originem ducant, aut impense foveantur, & si namque sit affectus fugacissimus, seu eodem pene momento quo invadit dissipetur, nihilominus tantum in animis melancholicorum metum excitat, seu eorundem intellectum tantopere turbat, ut ultimum exitium ab eo sibi portendi reputent, & statim in profundam perniciosamque meditationem delabantur, simul & consuetum vitæ genus omnimode deserant, ut omnes curas ad corporis valetudinem tuendam convertant, perindeque sine mora recurrunt ad Medicos eorum auxilium imploraturi, solita corporis & mentis exercitia negligunt, pulsus, urinas, excrementa, vires, vultus colorem, & universi corporis habitus statum, instanti quolibet

explorant, nunc longâ se macerant inediâ, modo cibis tum solidis tum liquidis ad nauſeam uſque ſtomachum voraciter implent, denique ſolitudinem quærunt, ut tanto liberius ſortem ſuam lugere, & profundæ meditationi queant indulgere, qua quidem inſolita vivendi ratione, morus omnes fluidorum ſic depravantur, ut contumaces admodum obſtructiones generentur morbo hypocondriaco natalitia præbituræ; ſicque miſeri dum leves & fugaces halitus præter omnem rationem timent, in affectus graves & pertinaces, nullis remediis, nequidem helleboro ſanabiles incidunt.

Illud itaque ſymptomatis genus, propter abſurda de eo ægrorum judicia adeo pernicioſum, non à vaporibus ſeu fumis ab ima regione & præſertim à liene ſuſum elevatis exoritur, uti veteres infulſe prorsus exiſtimabant, cum ne minimum quidem ab imis ad ſuperiora pateat ſpiraculum, quo vapores ejuſmodi ſuſum evehi queant, ſed non aliam ob cauſam caput ſubito ſuccutitur, aut ſtupet, vel rotari & nutare videtur, quàm ex eo quod ſanguinis circuitus, & ſpirituum fluxus, in quibuſdam cerebri vaſis derepente intercipiuntur, idque propter compressionem quamdam iuſdem vaſis, ſubito pariter inductam, ſeu quoniam majori copia & impetu quam par ſit, ſanguis ad cerebrum impellitur, ita ut ca-

dem quantitate qua appellit nequeat resorberi, sicque dum in vasis continentibus hæret eademque distendit, ea quæ sunt circumjecta, seu sanguinea, seu limphatica, seu secretoria comprimunt, seu quod spiritus à contentione quadam vehementi, aut ab immoderato animi pathemate retenti, fibras cerebri solito potentius vibrent & concutiant, unde sequitur fluidorum ad easdem fibras appellentium motum conturbari, sicque eorundem æquilibrium tolli, ex quibus aut similibus causæ seu rationes succussuum, stuporis, & nutationis facile eruuntur. Dum etenim sanguis à contractionibus cordis & arteriarum, ad vasa cerebri continenter pulsus, in canaliculis pressis aut vibratis, iter obstructum reperit, vim solito majorem, seu nisum quemdam moliri cogitur, ut sibi viam pareret liberiores, qui quidem nisus exerceri nequit, quia certæ quædam cerebri partes, magis adhuc comprimantur & succutiantur, perindeque stuporis & commotionis insolitæ sensus inducatur, quoniam vero à sanguine continuo pulso, objectæ resistentiæ utpote leves brevi superantur, sicque naturalis liquidi circuitus restituitur, illico pressiones, nisus, & vibrationes desinunt, perindeque succussus, stupores verbo vapores intermittunt & statim evanescent, sed cum ob stuporem, concussionem, & sensuum eclipsum, malorum me-

tuendorum & mortis ideæ excitentur, animus de corporis statu sollicitus, ad triste profundeque meditandum adigitur, ex attentione, metu, & tristitia, fit ut interna cerebri stamina potenter & assiduo percellantur, unde rursus angores, vapores, & molestæ sensationes, quæ à percusso, perturbato, seu infirmato iudicio, non ad contentionem & formidinem, sed ad eandem causam à qua primi vapores exorti sunt, referuntur, ita ut territus & rationis impositus æger, vitium quoddam insigne corpori & præsertim capiti inhære, & jam alte, propter repetitos succussus, radicatum arbitretur, sicque morborum & funestorum eventuum ideæ quolibet instanti renovantur & roborantur, donec tandem continuata tristium & formidandarum cogitationum serie, mens in opinione præconcepta morbi gravis & exitialis penitus confirmetur.

Sed in recensendis & examinandis pravis effectis hujus symptomatis aut causæ morbi imaginarii, cui vaporum nomen vulgo tribuitur, præter fas esset oblivisci illius affectus cui fatale vel ut apertius loquar lethale pestis vocabulum fuit impositum, ut pote qui non minus cæteris morbis supra descriptis, suam vaporibus terribis, seu stupendis cerebri succussibus, verbo funestæ mentis læsioni debet originem, & idcirco inter ægri-

tudines imaginarias, jure referendus, à quibus alia nulla ratione discrepat, quam quod vapores seu succus ab idæis pestis excitati, sint assidui, potentissimi, proindeque summam & indefinentem animi perturbationem, & ideo promptam certamque perniciem ut plurimum invehant.

Quod autem à vaporibus, seu à succusibus cerebri, & consequenter à læsa turbataque mente pestis oriatur, evincitur in primis ipsamet eorum qui in civitate peste obsessa versantur, & eadem corripuntur confessione, hi namque, tum antequam morbus invaderet, cerebrum frequenter & vehementer concussum fuisse, tum in hujus decursu potentius adhuc & assiduo concuti, & veluti vaporibus impleri conquærantur, sed & hæc summa capitis & mentis perturbatio non minus evidenter dignoscitur ex eorundem oculis & vultu, quemadmodum & ex immutatis agendi, loquendi, cogitandique rationibus, omnes etenim urbis correptæ pestilentia cives, si paucos exceperis, faciem habent pallore deformem & veluti larvatam, sed præsertim oculos jubare, seu vigore suo naturali destitutos, mæstos, consternatos, interdum scintillantes, nunc extra limites orbitarum veluti furibunde productos, modo in earundem cavo funeste reconditos, vox autem vel nulla, vel lugubris emittitur, ita ut aut

horrendum ubique seruetur silentium, vel sonos ubique tremulos, fractos, querulos, & flebiles exaudias, nullus sermo nisi de peste, seu de eorum numero qui ejus sævitie corripuntur & extinguuntur, vel de parentibus, conjugibus, liberis & servis se mutuo, absque ullo charitatis & misericordiæ respectu deserentibus, aut de iis qui fame pereunt, vel qui facti phrenitici se ex alto in subjectum solum, vel in aquas se dant præcipites; cunctos aliunde ejusdem urbis cives, vel demissis capitibus, immota rigidaque cervice, narium & faucium spiraminibus obturatis videas incedere, nunc ebriorum instar nutare, modo velut æstro quodam percitos, omnes vicos, plateas omnes, absque consilio percurrere. Quid plura, tanquam omnis ex hominum divumque parte, spes foret præcisa, perturbationis, terroris & desperationis signa, in omnium frontibus, oculis, & animis impressa manifeste cernuntur.

Ex hoc itaque calamitoso mentis statu, qui summam judicii perturbationem, & ingentem mortis horrendæ timorem arguit, fit & indicatur, quod succussus cerebri vaporum nomine designati, potentissimi sint, & fere numquam intermittant, idque quoniam tremendæ pestis ideæ semper sunt præsentis, & nullis aliis objectis, nec consequenter idæis anima distrahatur, ex his autem molef-

tissimis & continuis succussibus, terror ingens & assiduus manat, unde necessario sequitur motum sanguinis & spirituum, sicut & aliorum humorum inhibendum, idque derepente propter succussuum vehementiam, frequentiam, & continuitatem, hinc intelligitur cur hic morbus licet imaginarius, certam tamen & promptam inferat pernitiem, ad discrimen aliarum ægriitudinum quæ pendent ab imaginatione læsa, in quibus concussiones fibrarum cerebri rariores sunt & remissiores, quoniam objectum à quo morbus imaginarius communis excitatur, nec adeo vividum, nec ita potens & tremendum, eo, à quo pestis inducitur, adde quod ægrotantes imaginarii de quibus in hac dissertatione sermo instituitur, ab objectis contentionis, aliorum objectorum diversitate frequenter avertantur, unde nil mirum quod in his nullum notabile fixumque sicut in peste vitium in humoribus producat, quamdiu saltem læsio mentis certos intra limites subsistit.

Atque hinc est, quod in enumeratione causarum ægriitudinis imaginariæ vulgaris, de vitiis fluidorum à quibus posset excitari, nullam aut levem admodum mentionem faciendam censuerimus; Etsi namque nimia tensio, & elasticitas fibrarum cerebri, tum & immoderati fibrarum succussus, quoddam interim vitium in humoribus, quantitatis aut

qualitatis ratione, vel in antecessu, vel in
 progressu morbi, arguendum aut argui posse
 demonstrent, illud tamen vitium si quod sit,
 levissimum prorsus esse, ex attento ægrotan-
 tium hujus indolis examine, facile conjici-
 tur, si nempe virium, pulsus, & universi
 corporis habitus, laudabilisque functionum
 omnium status expendatur, haud difficile in-
 telligetur, crasim & motum humorum à le-
 ge naturæ parum deviare, ita ut vero pro-
 ximum sit, fibras cerebri solummodo, & ex
 his nonnullas tantum, prave dispositas esse,
 quæ quidem prava dispositio, seu tensio &
 elasticitas absque ullo saltem notabili fluido-
 rum vitio fovetur & intenditur, nisi fortas-
 sis grave quoddam in regimine victus erra-
 tum committatur, vel nisi fibratum succus-
 sus ad hunc usque gradum provehantur, ut
 motus spirituum, & consequenter sanguinis
 & solidorum insigniter pervertantur, unde
 mania, motus spasmodici, variæque affectus
 hypochondriaci species suboriuntur, de quibus
 hîc sermonem habere minime decrevimus,
 licet ab imaginatione læsa seu à vitio cere-
 bri, sicut & alia permulta morborum gene-
 ra frequenter pendeant, & constanter fo-
 veantur, ne videlicet hæc nostra dissertatio
 in immensum produceretur, imo nec quidquam
 de peste protulissemus, nisi temporis recens elap-
 si circūstanciæ, id ipsum quadantenus exegissent.

Verum etiamsi concederetur, in ægritudinibus imaginariis fluidorum indolem depravari, seu uti communiter statuitur ad resinæ naturam accedere, nullam tamen ex hac suppositione lucem emergere, seu tutam quamdam ad sanationem curandi methodum indicari reputamus, cum posito quod res ita se habeat, idæa resinosi sanguinis duo vitia contraria, seu duas è directo sibi oppositas indicationes, spissitudinem nimirum & inflammabilitatem offerat corrigenda, quorum unum emendari nequit, quin aliud intendatur, dum ex adverso si causæ proximæ, seu assidue representationis idearum quarumdam à majori fibrarum certarum tensione & vibratione pendentis, ratio tantum habeatur, planum sit certam ad sanationem viam designari, nimirum ut oblata rerum varietate, sicque diversis excitatis idæis, mens ab objecto contentionis averti, proindeque fibræ tensæ laxari queant.

Verum antequam legitima medendi methodus proponatur, nonnulla de prognosi, juxta receptas in schola leges, dicenda sunt, quæ quidem ex attenta superiorum consideratione sine summo negotio poterit elici.

CAPUT QUARTUM

De prognosi Ægritudinis imaginariæ.

EX præfatis datur intelligendum, quod juxta varios tensionis & elasticitatis fibrarum cerebri gradus, diversa præfagia sint stabilienda, hæc autem graduum diversitas ex variis agendi, loquendi, cogitandique, modis ægrotantis imaginarii deduci debet multiplici vero & quotidiana constat experientia, illud morbi genus raro prorsus esse periculosum & lethale, nisi grave quoddam corpori vitium, consequenter ad judicii læsionem, inustum fuerit, seu nisi supra memoratum pestis, nempe falsæ de contagio præsentis opinionis casum exceperimus, sed observatione! heu nimium frequenti, compertum manet ægritudines imaginarias esse summe contumaces, & fere semper immedicabiles, ita ut instar prodigii habeatur, quemquam ex hac ægrotantium classe perfecte sanari, ubi morbus est confirmatus, maxime vero si prava fibrarum cerebri dispositio, vel ab utero, vel à primo nutrimento, vel ab educatione, vel à singulari quodam vitæ genere diu servato, contracta fuerit, vel si cerebri & mentis assidui suc-

eussus , à summa quadam calamitate , vel ab ingentibus animi curis excitati fuerint , & continenter foveantur ; tum inquam falsa de morbis aut imminente mortis periculo præjudicia , non tantum altissime radicantur , sed & ad eum usque gradum promoventur , ut modo jam sæpius exposito , graves corporis læsiones subsequantur , seu ægri tudines imaginariæ , in maniam , in motus spasmodicos , in affectum hyppocondriacum , aliasque malorum species , nullis artibus domabiles abituræ.

Summam autem hujus affectus contumaciam , dum certos intra limites subsistit , à vitio sanguinis , seu ab inspissatis , acribus , aut resinosis humoribus , juxta vulgatam opinionem , minime deducendam arbitramur , cum hujusmodi praviæ fluidorum qualitates , absque notabili manifesta que , & constanti partium & functionum læsione , existere nequeant , sed à nimia tensione & repetita succussione quarundam fibrarum cerebri , quæ independenter à notabilibus fluidorum depravationibus , induci possunt & foveri , repetendam censemus , hinc etenim ideæ mali gravissimi , & idcirco profundæ meditationes oriuntur , quarum ratione fit ut cætera cerebri stamina sanis judiciis excitandis destinata , ferientur , perindeque nil mirum animam de mentis læsione commonefieri non

posse, ideoque ægritudinem imaginariam contumacem, & sæpius immedicabilem esse.

Accedit insuper quod à Medicis vel inexercitatis in praxi, vel inattentis, vel rei familiaris angustia pressis, vel denique luctu nimis inhiantibus, ægrotantes imaginarii, in falso de morbo præjudicio, non parum confirmantur, dum videlicet diversa pharmacorum genera tanquã ad veram ægritudinem expugnandam præscribunt, cum ab idæis remediis, idæis morborum fere semper excitentur, ideoque semper præsentem reddantur, præsertim vero, si particulæ medicaminum, massam humorum notabiliter commoveant, aut partium sensibilibus elateres potenter stimulent, unde vehementes fibrarum nervearum succussus subsequuntur, animum validius commoturi, prudentumque salutaribus monitis minus obsequiosum, & idcirco morbum contumaciorem effecturi.

Quod autem ægritudines imaginariæ raro sint periculosæ, minime mirum videbitur attendentibus ad præfata, nimirum in his, nullum saltem notabile vitium, fluidis aut solidis inhærere, si quædam solummodo cerebri fibræ excipiantur, quæ malorum & mortis idæis representandis inserviunt, harum etenim tensio, elasticitas, & vibratio, jam toties memoratæ, nullam vel exiguam profus in sanguine, & spiritibus alterationem indicant.

cant, cum ab iis tantisper hærentibus aut
 retentis, vel parum exuberantibus, aut pau-
 lo majori cum impetu motis pendeant, quæ
 quidem vitia tanti non sunt, ut insignem
 vel lethalem quandam labem corpori inhæ-
 rere demonstrent, idque tanto minus quod
 fibrarum cerebri succussus ab his excita-
 ti licet vehementes, ejusdem semper non
 sint roboris, nec continenter, absque ulla
 remissione perseverent, si quidem ægrotan-
 tibus imaginariis volentibus vel nolentibus, in-
 terdum alia, eaque longe diversa ab objectis
 delirii, offeruntur objecta, & consequenter
 spiritus ad alias cerebri fibras determinantur,
 unde fit ut tanta copia, tantoque cum im-
 petu, ad stamina tensa, & elastica non fe-
 rantur, proindeque consuetus, vehemens &
 molestus eorum labor tantisper intermittat,
 tum igitur mens alleviatur, tum erigitur, &
 spem quamdam salutis concipit, cujus ope
 motus præternaturales à meditatione & for-
 midine malorum & mortis, enati, quadante-
 nus emendantur, seu infringuntur, sicque fu-
 nesti, aut periculosi eventus, qui à tristitia
 metuque semper urgentibus subnasci possent,
 præcaventur.

CAPUT QUINTUM

De curatione Ægritudinis imaginariæ.

EX dictis ergo facile quivis intelliget, ægritudinem imaginariam, sola diversitate idæarum curari posse, si namque certum sit, & ab omnibus phisico-medicis statutum, id morbi genus, nullam aliam ob causam excitari, foveri, & intendi, quam ex eo quod eadem semper fibræ cerebri succutiantur, unde fit ut eadem assiduo menti offerantur idææ, ex quibus omnis mali labes oritur, vel ex eo tantum, volentes vel nolentes inferre cogimur, nullam aliam ad sanationem esse viam, quam ut cætera cerebri stamina successive moveantur sicque diversæ ab assuetis idææ excitentur, quarum ratione perniciosæ de morbis & morte meditationes, & consequenter opiniones, ex animo penitus deleantur & ejiciantur, Quæ quidem ita per se patent, ut ulteriori probatione minime videantur indigere.

Sed illud maxime curam nostram & attentionem desiderat, ut nempe certa proponatur methodus, cujus ope salutaris idæarum varietas suggeri possit, cui quidem desiderato pro virili satisfacere conabimur, post-

quam paucis demonstraverimus, prælaudatum effectum à remediis quibuscumque ex pharmaceutico fonte depromptis obtineri non posse, quin imo, ab eorundem usu morbum imaginarium exasperandum, id autem evincere, nec arduum, nec operosum, imo levis seu exigui prorsus laboris negotium videbitur, si præfata superius, attenta mente revolvantur, nimirum ab idæis remedium, morborum idæas foveri, cum de remedio cogitare non liceat, nisi uno eodemque tempore ægritudinis idæa subnascatur, sed quandoquidē idæa remedii, non modo morbi, sed & ejusdem sanationis idæam interdum excitat, unde fit, ut quædam salutis spes affulgeat, quæ mentem ægrotantis imaginarii sublevare potest & recreare, idcirco, in eo potissimum difficultatis cardo vertitur, ut comprobetur, hanc ægrotantium spem irritam esse, imo & non raro summopere nocivam, cum à pharmaceutis morbus imaginarius debeat intendi, multumque roborari.

Quo circa tum ad experientiam, tum ad vulgare rationis lumen provoco, experientiam dico, cujus certitudo sic cognita, ut ægritudines imaginariæ flagellum Medicorum vulgo audiant, qua propter cultores artis, summâ cum curâ, seu cane pejus & angue accessus & consortia melancholicorum refugiunt, edocti nimirum observatione multi-

plici & heu nimium frequenti, quælibet artis præsidia ad eorum sanationem frustra profusè adhiberi.

Rationes vero certæ & evidentes, eorundem præsidiorum inutilitatem & nocumenta patefaciunt, nam imprimis nullum uti superius annotavimus, aut exiguum, illudque fugax humoribus vitium inhæret, quemadmodum ex ægrotantium habitu, robore, & ex aptitudine ad functiones omnes exercendas, sed præsertim quod nulla corporis laborantis præter querelam assiduam se prodant indicia, datur inferendum, verum dato non concesso, quod humores sint depravati, & juxta vulgatam bypotesin, ad resinofam indolem accedant, exinde juxta prædicta, duæ eæque sibi invicem è directo oppositæ, nascuntur indicationes, quarum una suadet, illud quod crassum est & glutinosum in resina dividendum, altera vero, particulas salinas & volatiles, in sulphure crassiori resinæ copiose reconditas attemperandas, illud autem an remedii cujusdam ope præstari valeat, æquis rerum æstimatoribus judicandum relinquimus, nisi fortassis arbitremur eam particulis medicaminum, inesse falcutatem aut vim intelligentiæ, ut in vasorum orbibus intromissæ, & cum sanguine confusæ, sese ita regere & gerere valeant, ut harum unaquæque hostem suæ virtuti parem quærere & in-

venire, inventum dignoscere, cum eo con-
gredi, luctari viriliter, tandem & expugna-
re possint.

Sed ad seria, ubi namque de salute mor-
taliū agitur, joculari minime convenit, ex
hoc itaque jam adducto, & evidenti ratio-
cinio, patet ad corrigenda vitia fluidorum
in ægritudinibus imaginariis si quæ sint, re-
media propter contrarietatem indicationum
non competere, nec minus evidens est, pra-
vas solidorum dispositiones, ope pharmaco-
rum, pari quoque de causa nullatenus emen-
dari posse, cum etenim uti sæpius inculca-
tum, hæc perversa dispositio, in nimia qua-
rundam tantum fibrarum cerebri tensione &
elasticitate consistat, perindeque laxantia,
seu humectantia medicamina desiderentur, ut
tensorum staminum tonus imminuatur, debi-
litetur, verbo relaxetur, hic effectus (nostro
quidem judicio) nequit obtineri, quin om-
nes aliæ cerebri fibræ, cæteraque cuncta
motricia partium stamina, similiter reddan-
tur infirmiora, perindeque nativum totius
cerebri, & corporis universi robur infrin-
gatur, unde sequitur multo majus nocumen-
tum quam emolumentum ex usu laxantium
sperandum, exemplo sit laudanum in hu-
jusmodi casibus præscribi solitum, seu qui-
busdam ægrotantibus imaginariis adeo fami-
liare, cujus revera subsidio, mentes eorum

mire prorsus relaxantur, tensæque prætermo-
 dum cerebri fibræ à molestis & formidatis
 succussibus liberantur, sed experimento mul-
 tiplici compertum, ab ejus usu, tandem stu-
 porem quemdam universalem, affectus sopo-
 riferos, motus spasmodicos, ventriculi, &
 omnium organorum digestionis inservientium,
 summam debilitatem, aliaque non parum
 metuenda, & sæpe funesta malorum genera
 induci.

Jam vero non levem animadversionem me-
 retur, remedia cujuscumque sint energiæ,
 ab ægrotantibus imaginariis, sicut & à cæ-
 teris melancholicis sumpta, raro prorsus so-
 litos effectus, & interdum invisos producere,
 idque dubio procul ob diuturnas & profun-
 das eorum meditationes, quarum ratione fit
 ut fluidum spirituosum captivum velut in ce-
 rebro detineatur, perindeque fluxus ejusdem
 ad partes inhibeatur, unde sequitur particu-
 las quoque medicaminum immotas & iner-
 tes in primis viis, & in vasis permanere,
 quamdiu nempe vis contentionis subsistit,
 mox vero eadem remittente in motum agi,
 sed alternis vicibus cessantem & redeun-
 tem, hinc si particule medicaminum sint ex
 salinarum genere, eæque diversis intervallis
 commoveantur, irritare debent, stimulare,
 concutere, unde dolores erratici, motus,
 spasmodici, & insani morosique mentis im-

petus provocantur, si autem ex familiis sulphureorum educantur, partes in quarum conceptaculis hærent, gravari, comprimi, fluidaque prætermo- dum inspissari necessum est, sicque lassitudines, anxietates, obstructions, capitis & stomachi gravedines supervenire.

Mitto denique quod à remediorum usu, tristitia, moeror, & morositas, ob eorundem pravum & insolitum gustum non parum intendantur, & quod etiam si contigerit ægros ab hujusmodi medicaminibus levari, hæc solatia brevissimæ durationis esse consueverint, seu redeunte mentis contentione, confestim evanescant.

Neque tamen inficiabimur, in certis quibusdam casibus ægrotantibus imaginariis remedia præscribenda, ubi nempe propter summam, eamque insigni formidine comitatam animi contentionem, simul & ingluviem, vel grave quoddam in regimine victus erratum, metuenda quædam excitantur symptomata. vix etenim ullum produci potest in medium morbi genus, quod ab hujusmodi mentis læsione, tum & ab immoderato ciborum, & potulentorum usu, subnasci non valeat, quæ quidem si apparuerint, legibus rationis humanitatis & officii convenit, hæc eadem idoneis remediis expugnari vel mitigari, urgentioribus juxta scientiæ documenta semper occurrendo.

At ubi medicamina desideratum præstiterunt effectum , cavendum sedulo , propter rationum momenta superius allata , ne vel inutilia , vel nociva præscribantur , sed ex adverso , rejecto proflus omni remediorum apparatu , Medicus eam qua pollet solertiam , & facundiam adhibere debet , ut animus à pernitiōsa contentione revocari , seu (quod idem est) æger à falsa ægritudinis opinione possit liberari. Aut si mentem sic in suis præjudiciis obstinatam repererit , ut nullis rationum momentis se flecti patiatur , remediaque flebiliter & enixe requirat , tum inquam ne spes ex eorum virtute concepta , vertatur in desperationem , si desiderata negentur auxilia , quædam interim præscribere licitum est , sed ex eorum genere quæ vel nullam vel facile emendabilem læsionem inferre queunt , modo tamen alumnus æsculapii , nihil eorum negligat , quorum ope fiduciam ægrotantis sibi conciliare , contumacem animum frangere , denique sanæ rationi morigerum præstare valeat.

In hoc ergo difficultatis cardo versatur , ut æger suaderi possit , morbum quo se correptum conquæritur , imaginarium esse. Dum etenim ob ægritudinum & mortis idæas semper præsentēs , ultimum sibi periculum imminere firmiter arbitratur , peritorum & oculatorum , imaginationis & judicii vitium ar-

guentium, salutaria consilia non modo spernit, sed averfatur, exhibilat, interim quoque sic excandescit, ut medicum consulentem ad silendum, & ad valedicendum, miserandamque sortem ipsius deflendam adigat vel invitum.

Qua propter singularis prorsus solertia desideratur, ut ægrotantes imaginarii, à falsis præjudiciis liberari, & ad rectam rationis sententiam revocari queant, sic ut ipsis, ut ita dicam, incogitantibus & inscientibus, ea varietas objectorum sic offerenda quæ sensationum organa diversimode simul & jucunde vibrare, motusque naturalis & voluntarii, gratam & summe variatam exercitationem accendere, præsertim vero partium exteriorum vires motrices excitare valeat, eo nimirum fine ut spirituosum purpureumque fluentum ab interioribus capitis, seu à centro cerebri, ad alia ejusdem stamina, ad reliquas corporis partes, & habitum externum advocari queant, perindeque rarius & remissius, tenfas nimium & vibratiles callosæ substantiæ fibras imperant.

Illud igitur unicum ad curandam ægritudinem imaginariam incumbit negotium, ut stamina cerebri, pravis judiciis excitandis seu producendis inservientia, quibus licebit artibus, immota seu quæta detineantur, dum interim alia quorum motus ad recte judi-

candum destinatus est, aliæque partes successive, juxta prudentiæ leges movebuntur, quod equidem ex voto nequit succedere, nisi spiritus à consueto divertant itinere, & aliorsum deriventur.

Diversa vero media, eaque efficacissima ad hunc scopum assequendum communiter suppetunt, cujusmodi sunt spectacula publica festivaque, musicæ dulcisonæ concentus, amica colloquia, amenæ diurnæque deambulationes, convivia moderata, concertationes lusoriæ, longinquæ peregrinationes, equitatio venatus, aliaque sexcenta satis omnibus nota, quibus, si uti par est, indulgeatur, sanguis & spiritus, aliaque quælibet fluida, omnes vasorum orbes, absque ulla mora & anxietate pacate percurrunt, & consequenter cerebrum à vehementibus molestisque succusibus liberatur.

Nam in primis spectacula publica si lepida sint & festiva; summam vim obtinent ad idæas funestas morborum & mortis amovendas, ad mentes exhilarandas, seu ad novas, jucundas, mireque variatas imagines oculis & animis exhibendas, dum nempe mira sui diversitate spiritus ad organum visus, & hinc ad commune sensorium, subindeque propter nervorum consensum ad multas alias partes vicibus alternis determinant.

Sed multo majorem adhuc concentus mu-

fici potestatem habent, ad recreandos, & diuturna meditatione fessos animos reficiendos, cum dulce vocis & instrumentorum modulamen, & exin enata, propemodum infinita sonorum varietas, modis pariter innumeris, acoustici nervi fibras leniter vibrare, sicque fluidum spirituosum ab auribus ad cerebrum, à cerebro ad aures commoveri, seu uti vulgo loquuntur fluere & refluxere, moxque multos alios nervos sympathiæ legibus subire, placideque commovere cogat.

Amicis autem & jucundis colloquiis quid potentius, ad animos à tristibus & profundis meditationibus avocandos, cum præter multiplices & gratas idæas ex eorum quæ dicuntur consideratione subnascentes, salutaris auræ spirituosæ fluxus & refluxus vicissitudo, inter vocis & auditus, aliarumque plurimarum partium organa, simul & commune sensorium, absque ullo labore foveatur.

Sed ex unanimi consensu, summa prorsus est variorum corporis exercitiorum, uti deambulationis, equitationis, venatus, saltationis, aliorumque id genus energia, ut interiora capitis à violentis, & tristibus sensationibus libera sint & immunia, ubi nempe musculorum assiduis & alternis contractionibus, spiritus ad partes motui voluntario destinatas jugiter determinantur, tum & fluida quælibet earundem contractionum ope inde-

finenter mota, nullibi moras periculosas trahere possunt.

Verum inter cætera quæ ad spiritus à consuetis itineribus, & à fibris succuti solitis avertendos conducunt, nullum magis ab artibus proceribus medium commendatur, peregrinatione, seu equo, seu curru, seu navi vehamur, præter motum ab hujusmodi vecturis universo corpori communicatum, ratione cujus spiritus & sanguis in omnes partes diffundi successive subsequitur, mira prorsus rerum omnium varietate, & aeris liberioris haustu, jucunde afficiuntur & deliniuntur animi, optataque continuo suggeritur idæarum diversitas.

Hæc inquam omnia aliaque id genus, summam ad ægritudinis imaginariæ curam, seu ad diversas excitandas idæas efficaciam habent, præsertim ubi modus, uti decet, in eorundem usu servatur, seu iis immoderate, juxta pravam melancholicorum consuetudinem, non indulgetur.

Fatendum tamen ingenuè, mediolorum prælaudatorum usum, non infrequenter irritum esse, ubi tensio & elater fibrarum, pravis judiciis inservientium, debilitas vero earum quæ ad recte sentiendum sunt comparatæ, ad eum usque gradum provehuntur, nec non amplitudo viarum ad priores tendentium sic augetur, & ex adverso canales & aditus ad

stamina posteriora ducentes, sic obturati sunt, ut nec fibrarum tensorum robur infirmari, nec debiliam tonus robotari, nec ampliatarum diameter arctari, neque demum obstructarum seu occlusarum semitæ referari & dilatari valeant.

Unde patet, cur ii qui in ætate consistenti, morbis imaginariis jam diu laboraverè, difficulter adeo sanentur, imo & eadem superius proposita malorum avocamenta, sæpe refugiant aut avertentur, ita-ut in eorundem usu tristes, inquieti, morosique videantur, cum etenim habitus ratione diuturnitatis jam fuerit confirmatus, sequitur quod ea stamina quæ constantius & diutius mota fuerè, mobilitatem suam retineant, quod itinera ad ea tendentia ut pote jam toties trita suam fervent amplitudinem, dum interim ea quæ tamdiu immota & obserata permanse-
re rigida vel laxa nimis & rubiginosa veluti facta, in eodem semper statu perseverant, proindeque nil mirum easdem semper idæas obversari, diversas à solitis non induci, verbo morbum imaginarium non curari.

Et inde rursus intelligitur, quantum intersit in primis ætatibus, idoneo vitæ regimine, omnium nerveorum staminum, fibrarumque motricium textum flexilem, ductilem, & obsequiosum reddi, ideoque semitas ad hæc eadem stamina tendentes referatas & amplia-

tas ex æquo servari, ut nempe mens & corpus absque ulla molestia, vicibus alternis secundum moderationis leges exerceri, & ad omnes motus habilia reddi queant, & ex adverso quam sit nocivum & perniciosum in juvenilibus annis, mentem ab iisdem objectis potenter absque ulla intermissione stimulari, seu quasdam solummodo cerebri fibras irritari, concuti, reliqua vero ejusdem stamina, sicut & partes motui voluntario dicatas, immota relinqui, vel delicate nimis & molliter tractari, ita ut in consistentis ætatis decursu, vel leves externorum aut internorum impressiones perferre nequeant, absque summis anxietatibus, quæ dum malorum & mortis idæas indefinenter excitant, fontes sunt & veri fomites ægritudinis imaginariæ.

Sed ut redeamus unde digressi sumus, nimirum ad rationes supra memoratas, quarum ope salutarem idæarum diversitatem induci, sicque mentem ab importuna unius ejusdemque tristissima idææ præsentia liberari posse contendimus, de his inquam rationibus diligenter observandum est, quod multis eorum qui rerum publicarum administrationi præficiuntur, qui tuendæ numinis aut legum majestati præsunt, qui ex imo gradu ad altiores sedes conscendere, qui famam ingenii, & doctrinæ sibi comparare, opum & honorum culmen attingere, partaque

ceteri ardentem exoptant, vel qui demum ex
 miseræ paupertatis sordibus emergere sata-
 gunt, iis inquam omnibus propter labores
 mentis assiduos, qui necessario perferendi
 sunt, ut desideratum finem consequantur,
 huiusmodi mediis ad diversitatem idæarum
 sibi parandam idoneis uti, iisdemque raro
 prorsus indulgere licitum est, ideoque si cor-
 pora mentesque tot negotiis sustinendis, vel
 tantis ausis & muneribus paria desint, aut
 si partium solidarum robur, viribus animi
 non respondeat, vix possibile videtur tot in-
 ter difficultates quæ in cœptis exequendi se-
 se offerunt, eorundem capita graviter non
 concuti, & cerebrum nubibus veluti quibus-
 dam aut vaporibus non infuscari, dum vide-
 licet in assiduis & operosis animi conatibus,
 stamina nervea callosæ substantiæ, præter-
 modum vibrantur & tenduntur, perindeque
 volentes vel nolentes meditari profunde co-
 guntur, ita ut spiritus jam hærentes & ag-
 gesti, motique in interioribus capitis, diu-
 tius adhuc detineantur, cumulati aggeran-
 tur, & majori cum impetu cieantur, quam-
 obrem iis certum ægritudinis imaginariæ,
 mortisque formidinis periculum imminet, nisi
 medicorum artis peritorum consiliis, aut pro-
 priis experimentis sint edocti, nihil prorsus
 ex huiusmodi succussibus & vaporibus me-
 tuendum, si sobrietatis & moderationis leges

in cibo potuque servaverint, si cibos facile concoctiles sumpserint, si tot inter ardua mentis molimina, hanc ea qua licet obsectorum diversitate reficiant, & si tandem ita laboraverint, ut anima diutius attenda, immoto corpore non detineatur, seu pensum susceptum absque sensuum & voluntarii motus exercitio non exequatur.

Evidentibus enim & quotidianis observationibus, ab orbis & artis cunabulis comperit manet, ad quodlibet laboris animi genus, ut-ut arduum, constanter absque periculo sustinendum, & consequenter ad quolibet imaginarias, sicut & veras ægritudines præcavendas, vel jam enatas, & confirmatas expugnandas, nulla præsidia tutiora suppetere, sobrietate, ciborum euchymorum usu, & alterna motuum corporis & animi vicissitudine juxta prudentiæ & sapientiæ leges ordinata, ita ut in his exercendis & deligendis, temperierum, consuetudinis, & vitæ generis ratio semper habeatur.

Harum autem observationum veritas & certitudo, rationis splendente lumine manifestatur, cum ubi seu solida seu liquida eaque facile coctilia alimenta debita cum moderatione sumuntur, & alternatim corpus & animus sicuti decet exercentur, motus omnes naturales & voluntarii moderate petagi, seu nimium nec urgeri, nec comprimi seu
imminui

imminui debeant, ita ut omnium fibrarum motricium elateres, absque ullo tumultu vel sufflamine vigeant, unde fit ut nutrimentum facile digeratur, digestumque per omnes vasorum orbes uno eodemque tenore distribuatur, subindeque ad partium omnium interiores recessus, & ad nervea cerebri stamina leniter & æquabiliter appellat, & inde rursus sequitur eorundem vibrationes æquales semper futuras & moderatas, nec alia potentius aliis succutienda, sicque fluidum spirituosum seu naturaliter seu ad arbitrium voluntatis ubique locorum ex æquo determinabitur, unde tantopere requisita eaque salutaris emerget idæarum diversitas.

Jam vero, si ex his tum experimentis, tum ratiociniis constet, quod à sobrietate, quod à cibis laudabilis succi, quodque tandem ab alterno moderatoque corporis & animi motu sibi mutuo succedentibus, pacatus & æquabilis fibrarum cerebri motus, operataque varietas idæarum oriantur, perindeque præaveantur, & curentur mentis ægri- tudines, ex iisdem inquam vel invitæ cogimur inferre, ab ingluvie, à crapula, ab alimentis dyspeptis, & ab uno eodemque mentis labore diutius protracto, absque debito voluntarii motus exercitio, violentos & inordinatos fibrarum nervearum succussus, tristes & profundas meditationes, & consequenter morbos

imaginarios mortisque formidinem subnascentia, quod aliunde certis pariter & evidentibus firmatur experimentis, cum ii qui in gluviei, crapulae, vinoque dediti sunt, qui pravi succi cibis utuntur, & qui tandem animum, immoto corpore, diutius exercent, sicut in veras sic in imaginarias ægrotudines communiter incidant, & ex his iterum quanta melancholicis servandi debiti regiminis incumbat necessitas, quivis intelliget.

Denique si diversa media ad diversas ideas excitandas, seu ad curandas ægrotudines imaginarias hætenus proposita, ex voto non succedant, haud dubie quoniam ab eorum usu, nervea cerebri stamina quæ diutius immota permansere, satis potenter ab his affici nequeant, ut vibrationis & tensionis modus immutetur, seu ut spiritus consueta deserant itinera, tum inquam omnem industriam & solertiam à Medico necessum est adhiberi, quo potentius adhuc cerebrum commoveatur, sicque mens à tristibus & profundis meditationibus avertatur, hinc observatione multiplici constat, quosdam id genus ægrotantes, à supervenientibus ex improvise maximi momenti negotiis perfecte sanatos, ita ut animus à novo genere motionis potentissime percussus, considerationem omnem, seu attentionem & operam traducere cogeretur, ad inquirenda, eligendaque media quibus à ne-

gotiis urgentibus, aut ab impendente discrimine se posset expedire, quod equidem fieri non potuit, quin spiritus, à trita solitaque via diverterent, novasque semitas percurrerent, alias ab assuetis fibras impeterent, & consequenter idæ à prioribus longe diversæ excitarentur.

Cum ergo ex præfatis satis superque constet, remedia quælibet ægrotantibus imaginariis, esse vel nociva vel inutilia, eosdemque solâ diversitate idæarum curari posse, jure concludimus,

ERGO Ægrotantes imaginarii solâ diversitate idæarum, rejecto omni remedium apparatus, sanandi sunt.





